

EPISTULA LEONINA

LXXIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM TERTIAM (73) !

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam **septuagesimam tertiam**. Laetus tibi nuntio in Aedibus Turicensibus, quae appellantur **DIOGENES**, mox editum iri **PARVUM NICOLAUM**, i.e. librum cui insint nonnullae narratiunculae a Renato Gosciny auctore Asterigis scriptae et a Iohanne Iacobo Sempé picturis ornatae et a Nicolao Groß in Latinum conversae!*

*Paginis sequentibus legas, quis sit **PARVUS NICOLAUS** (qui originaliter appellatur «**Le petit Nicolas**»), a quo excogitatus sit, a quo depictus, a quo in theodiscum redditus, e.al. ...*

Hac lectione ut delectabiliter fruaris, ut pancratice valeas, ut sibi pergas favere intimo ex corde exoptat

Nicolaus Groß
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Solis, 30. m.Mart. a.2013



RIDENTEM DICERE VERUM

HORATIUS

Goscinny & Sempé
Parvus Nicolaus
Der kleine
Nick
auf Latein und Deutsch



Diogenes

**Libellus chartâ durâ involutus
 Quem scripsit *René Goscinny*,
 lineamentis instruxit *Jean-Jacques Sempé*.**

PARVUS NICOLAUS

Narratiunculæ

**quas theodiscê reddidit *Hans-Georg Lenzen*,
 Latinê *Nikolaus Groß*.**

Quomodo fieri potest, ut Latinê colloquaris de rixationibus, pedifollio, magistrisque molestis? Hoc tibi explicabit Renatus Goscinny, auctor Asterigis, de altero heroe suo narrans, i.e. de Parvo Nicolao («Le Petit Nicolas», editio theodisca complectitur 1,6 miliones exemplorum!), cuius mox edetur pulcherrimus libellus bilinguis (Latino-theodiscus). *Chouette – Prima!* - Bellissimê!

**Libellus involucro semilineo instructus, 144 paginae.
 Edetur mense Aprili a.2014**

ISBN 978-3-257-01169-2

€ (D) 16.90 / (A) 17.40

sFr 24.90*

* pretium commendatum, non obligatorium.

PARVUS NICOLAUS

Parvus Nicolaus (originalis titulus Francogallicus: *Le petit Nicolas*) est series librorum puerilium a Renato (*René*) *Gosciny* scripta et a Iohanne Iacobo (*Jean-Jacques*) *Sempé* picturis linearibus ornata, quae inter annos 1959 et 1964 est publicata. Narrantur res quas videt dicit facit parvus puer nomine Nicolaus (*Nicolas*).



Historia Parvi Nicolai

Narratiunculae publicatae

160 (centum sexaginta) ferè narratiunculae Parvi Nicolai annis sexagenariis impressae sunt primum in periodico „*Le Moustique*“ et in Francogallicâ ephemeride *Sud-Ouest Dimanche*. Multae harum narratiuncularum postea divulgatae sunt quinque libris, qui in plures quam triginta linguas sunt conversi et saepius quam octies milionesies sunt venditi.

Anna filia Renati *Gosciny* mansionem mutans repperit narratiunculas Parvi Nicolai adhuc non libris editas, quarum 80 (octoginta) anno 2005 publicati sunt libro, qui inscribitur *Nova de Parvo Nicolao narrata* et alii 45 (quadraginta quinque) anno 2006 libro, cuius titulus est *Iterum adest Parvus Nicolaus*. Annis 2008 et 2009 editi sunt quattuor tomi concisiores, quibus insunt vicenae narratiunculae ex illis duobus libris electae.

Versio theodisca

Versiones narratiuncularum Parvi Nicolai confectae sunt a Iohanne Georgio (*Hans Georg*) *Lenzen*. His in versionibus Lenzenianis pro nonnullis nominibus personarum propriis Francogallicis, quae Germanis difficiliora sunt pronuntiata aut parum usitata, posita sunt nomina

theodisca. Exempli gratia pro nomine Francogallico, quod est *Geoffroy*, in versione theodiscâ adhibetur nomen *Georg*, in locum nominum *Clotaire* et *Alceste* Francogallicorum interpres Germanus utitur nominibus *Chlodwig* atque *Otto*. Praeterea Iohannes Georgius Lenzen Nicolai oppidum patrium transponit in Germaniam necnon in locum omnium Francogallicorum nominum geographicorum supponit Germanica; denique in versionibus recentioribus pro franco Francogallico et marcâ Germanicâ memoratur euro.

Cum Parvus Nicolaus in narratiunculis ipse narret primâ personâ, oportuit sermone loqueretur puerili, i.e. modo loquendi parvi pueri. Iohannes Georgius Lenzen in praefatione libri, c.t. *Neues vom kleinen Nick*, scribit haec: „Huius libri syntaxis signorumque positio adaptatae sunt ad modum loquendi Parvi Nicolai, non „Parvi Lexici Dudeniani“.

Libri audibiles

A.2005 editus est primus theodiscus liber audibilis, c.t. est *Parvus Nicolaus stupefactus est*. Quo in libro audibili nonnullae narratiunculae recitantur a *Rufo Beck*. A.2006 secuti sunt quattuor libri audibiles alii, quibus tituli sunt: *Parvus Nicolaus est optimus omnium*, *Parvus Nicolaus Iudit pedifollio*, *Parvus Nicolaus res ordinat*, *Parvus Nicolaus revenit!*

Libelli nubeculati

Ex anno 1956 – iam ante seriei propriae initium – edita sunt 28 episodica nubeculata a *Gosciny* scripta, a *Sempé* picturis ornata. Eadem nondum libellis edita sunt.

Argumentum narratiuncularum Parvi Nicolai

Persona praecipua et narrator est Nicolaus, parvus puer agilis et callidus. Qui narrat, quid viderit dixerit fecerit in scholâ, domi, cum amicis ludens cumque parentibus ferias degens. Unum ex verbis a Nicolao iterum iterumque dictis est „*chouette*“. Quod verbum annis quinquagenariis sexagenariisque a Francogallis adolescentibus saepe usurpabatur, sed ab adultis haud libenter audiebatur (mater irata Nicolaum monet, ne semper dicat hoc verbum). Eadem autem locutio originalis puerilis (quae in sermone hodierno non iam exstat) videtur derivata esse a substantivo „*la chouette*“, quod valet ululam. Ecce ululae oculos maximê apertos, quibus apparet summa attentio et curiositas. Facile intellegitur hîc nomine generaliter appellatas esse res curiosas, eximias, extraordinarias, res maximâ attentione dignas, res, quibus stupefierent...¹ A Iohanne Georgio Lenzen haec interiectio reddita est verbo «*Prima !*», interpres Latinus pro eâ scripsit «*Bellissimê!*»².

¹ In lexico etymologico verbum *chouette* indicatur saeculo undecimo ineunte significavisse meretricem bellam et fortasse translatum esse a moribus avis illius nocturnae ad mores meretricum - num hac de causa mater



„Chouette! – Bellissimé ! “

Nicolaus non est discipulus eximiê bonus; cum condiscipulis consentire videtur, etiamsi interdum rixatur pugnis usus....



Nicolao interdicat, ne hoc verbum adhibeat? cfr adiectivum theodiscum «geil», quod originaliter valuit i.q. Latine «salax, libidinosus», sed nunc ab adolescentibus (et ab adultis, qui stupidule demonstrare volunt se esse adhuc vigore iuvenili) usurpatur sensu generali: omnia, quae valde placent aut sunt aliquatenus extraordinaria, dicuntur «geil» aut «megageil».

At nunc lege de verbi francogallici etymo: <http://www.cnrtl.fr/etymologie/chouette//1>: **Étymol. et Hist. 1.** Ca 1825 adj. pop. « bon, agréable » (d'apr. Esn.); 1830 (Arago de Larchey cité par Quem.); **2.** 1836 subst. (Parent-Duchatelet *De la prostitution dans la ville de Paris*, p. 137 ds Sain. *Lang. par.*, p. 258 : une fille publique jolie est une gironde ou **chouette**). Prob. emploi fig. de *chouette*^{1*} d'apr. le comportement attribué à cet oiseau : cf. a. fr. *choëter* « faire la coquette » (xiii^es. ds T.-L.), la métamorphose de la belle jeune femme en chouette dans le songe de Panurge (Rabelais, *Tiers Livre*, XIV) et 1770 *faire la chouette à qqn* « (d'une femme) faire la coquette auprès de quelqu'un » (Lecomte ds *Rev. hist. litt.*, 5, 374 cité par Quem.); cf. aussi l'ital. *civitta* « chouette » et « coquette, femme légère » xv^es. ds *DEI*.

² Parum convenit epitheton Athenae Homericum sive potius serpentium Pindaricum: «glaucōps» (cfr Liddell-Scott (LSc), p.351 s.v.: «γλαυκῶψ, ὠπιος, ὁ, ἡ, = γλαυκῶπις, δράκοντες, PINDARUS, Odae 6,45; ὄφις, id. Paeon 4,249; Προνοίη (i.e. Athena) EUPHORIO 2. cfr LSc, l.l., s.v. γλαυκῶπις, ἡ, gen. ἰδος, acc. ἰδα, also iv: Odyssea 1,156; in Homerus, epitheton of Athena, prob. *with gleaming eyes*, Ilias 1,206 ; al.» - Quo epitheto usae sunt Marie-Françoise Saignes et Elisabeth Antébi in versione Parvi Nicolai parum Latinâ: «*Le Petit Nicolas en Latin – Pullus Nicoellus Latina lingua*» IMAV-éditions, 2012. Haec versio in memoriam revocat verba Ovidii: *Ut desint vires tamen est laudanda voluntas*. Sapienti sat. -

Personae narratiuncularum praecipuae

Amici Nicolai

- **Otto** (*Alceste*) est amicus Nicolai optimus. Qui est admodum crassus nec umquam desinit comedere.
- **Georgius** (*Geoffroy*) est patri divite, qui ei emit quaecumque habere vult. Qui perlibenter vestes mutat semperque vult esse dux.
- **Franciscus** (*Eudes*) est totius classis scholaris discipulus robustissimus semperque sodalibus ducit colaphum.
- **Adalbertus** (*Agnan*) est discipulus omnium optimus magistrae dilectissimus. Ceteris discipulis non perquam gratus est, sed quia perspicillum gerit, sodalibus plerumque non licet eum mulcare.
- **Rolandus** (*Rufus*) patre cum sit astyphylace habet fistulam vibratilem.
- **Chlodevechus** (*Clotaire*) cum sit discipulus omnium pessimus, si examen orale coram classe est subiturus, solet statim abire in angulum.
- **Ioachimus** (*Joachim*) aliquo die accipit fraterculum.
- **Maximilianus** (*Maixent*) longis est cruribus et crassis genibus sordidis.
- **Maria-Hedvigis** (*Marie-Edwige*) est bella filia vicinorum Nicolai, Kortschianorum (*Courteplaque*), eademque Nicolai amicula.
- **Ludovicula** (*Louissette*) melius ludit pedifolio quam nonnulli pueri. Nicolaus cum adoleverit eandem in matrimonium ducere vult.

Adulti

- **Parentes Nicolai:** Nomina parentum numquam afferuntur. Pater in grapheo officium gerit et saepe domum venit lassatus et sollicitatus. Mater est domiseda. Quando rixae fiunt, marito minatur se redituram esse ad matrem suam.
- **Magistra:** Etiam magistra non nomine appellatur. Quae discipulis pergrata est, nisi nimium vexatur technis nectendis...
- **Dominus Bulligo** (*Monsieur Dubon*) est scholae magister adiutorius et valdê severus. Qui a discipulis supernomine dicitur Bulligo (*Le Bouillon*), quia illis dicere solet: „Inspicite oculos meos !“ Nam in iure carniū insunt oculi.
- **Dominus Blennus** (*Monsieur Blédurt*) habitat iuxta familiam Nicolai. Idem Nicolaique pater iterum iterumque pueriliter inter se certant tamque vehementer rixantur, ut res ad manūs veniat.
- **Avia Nicolai** raro praesens est in Nicolai narratiunculis, sed interdum nepoti mittit dona, quibus admiratio movetur condiscipulis,

parentium autem efficitur controversia. Cum patre Nicolai haec avia non admodum bene concordat...

Cinema Parvi Nicolai

D.30. m.Sept. a.2009 cinema editum est *Le Petit Nicolas* dissignante *Laurentio Tirard* in cinemateis francogallicis. In Germaniâ hoc cinema sub titulo *Der kleine Nick* die 26. m.Aug. a.2010 monstari inceptum est, discus huius cinematis versatilis editus est d.25. m.Mart. a.2011.

Cinema Parvi Nicolai computatro animatum


A.2009 confecta est series cinematum computatro animatorum, quae complectitur 52 partes. In Germanico televisorio haec series cinematum primum emissa est d.6. m.Maii a.2010 "Canali parvulorum".





Patres Parvi Nicolai: Delineator Iohannes Iacobus (*a sinistris*) et auctor Renatus.

Renatus (*René*) Gosciny



Renatus Gosciny (a.1971)

René Gosciny [[rə'ne ɡɔsi'ni](#)] (qui natus est d.14. m.Aug. a.1926 Parisiis; mortuus d.5. m.Nov. a.1977 ibidem) auctor fuit librorum fabellarumque nubecularum unus ex omnium saeculi vicesimi illustrissimis.

Unâ cum delineatore *Alberto Uderzo* Renatus confinxit libellos nubeculatos de indiano *Umpah-Pah* (ex anno 1951) et praecipuê de *Asterige* Gallo invicto (ex anno 1959). Ex anno 1955 Renatus praeterea textûs scripsit nubeculatos de bubulco illo Americano *Lucky Luke*, a *Morris*, deque *Isnogud* vaziro magno a *Iohanne Tabary* imagunculis depictos.

In claritudinem autem Renatus pervênit narratiunculis Parvi Nicolai (*Le Petit Nicolas*), quas picturis linearibus exornavit Iohannes Iacobus Sempé.

De Renati vitâ operibusque

Parentes Renati Gosciny Iudaei origine fuerunt polonicâ, civitate francogallicâ. Renatus adolevit Bonaeropoli in urbe Argentinae principe. Eius pater *Stanislaus „Simkha“ Gościny* fuit ingeniarius chemicus; mortuus est a.1943. Renati autem mater, *Anna (Hanna) Bereśniak-Gościnna*, cuius per totam vitam intimo ex corde fuit studiosissimus, a.1974 Parisiis mortua est. Baccalaureatu superato Renatus primo munere ratiocinatoris adiutorii functus est, postea delineatoris in agenturâ commendativâ.

A.1945 Renatus emigravit Novum Eboracum eo fine, ut operaretur sub aegide illius *Walt Disney* viri illustrissimi. At cum hoc optatum non esset expletum, Renato quaestus comparandus erat operulis per occasiunculas acceptis. Novi Eboraco cognovit *Harveyum Kurtzman*, qui postea condidit „MAD“, periodicum satiricum; îdem Renato occasionem praebuit libros pueriles colorandi. A.1949 Renatus cognovit *Mauricium (Maurice) de Bévère* (i.e. „*Morris*“), a quo admonitus est, ut pergeret studere libellis nubeculatis conficiendis. Ex a.1955 Renatus mandatu *Morrisiano* scripsit textûs fabellae nubeculatae, c.t. *Lucky Luke*.

A.1950 cum in Europam remigrasset, Bruxellis sedem collocavit, ubi primum ipse publicavit libellos nubeculatos. Renati series a.1950 exorta, c.t. *Dick Dicks*, quae fuit parodia fabulae detectoris criminalis, publicata est nonnullis in ephemeridibus, e.g. annis 1955/56 in *La Libre Junior*, quod fuit additamentum puerile ephemeridis, c.t. *La Libre Belgique*. Praeter eam unica series fabellarum a Renato ipso picturis linearibus exornata fuit *Le capitaine Bibobu*, quae edita est annis 1955/56 in *Risque-Tout*. Deinde Renatus desiit delineare et scaenas scripsit aliis delineatoribus.

A.1951 Renatus incidit in *Albertum Uderzo* delineatorem, quocum coepit per longum tempus cooperari successu uberrimo. Qui artifices una confinxerunt series nubeculatas, quae sequuntur:

- [Pitt Pistol](#) praedo maritimus (a.1952–1956 in *La Libre Junior*)
- [Luc Junior](#) relator iuvenis (a.1954–1957 in *La Libre Junior*) (quae series quadamtenus similis est seriei *Les aventures de Tintin*)
- [Benjamin & Benjamine](#) frater sororque (a.1956–1959 in periodico eiusdem nominis et in periodico *Top*)
- [Umpah-Pah](#) indianus (a.1958–a.1962 in [Tintin](#))


- [Asterix](#) Gallus, fabula nubeculata, quam ediderunt cum successu longê omnium optimo; eadem a.1959–1974 publicata erat in [Pilote](#); hodie non nisi libris divulgatur.

Inde ex anno 1952 Renatus scripsit pro periodico *Spirou*. Ibidem primo confecit tria episodica *Avunculi Pauli* et pro *Jijé* Belgâ delineatore periculum illius *Jerry Spring*, sed ex a.1955 ferê nihil scripsit nisi fabellas illius *Lucky Luke* bubulci Americani solitarii Morrisiani. Ex anno 1956 scaenas et iocos scripsit pro periodico *Tintin*, ubi cum variis delineatoribus cooperatus est, e.g. cum *Franquin* conficiens “*Modeste et Pompon*”, cum *Maréchal* “*Prudence Petitpas*”, cum *Berck* “*Strapontin*”, cum *Attanasio* “*Spaghetti*” nec ultimo loco cum *Uderzo* illum Indianum “*Umpah-Pah*”.

Praeter libellos nubeculatos **inter annos 1959 et 1965** pro periodico *Sud-Ouest-Dimanche* septimanatim scripsit episodium fabulae, quae inscribitur **PARVUS NICOLAUS** (*Le Petit Nicolas*), quae brevi post etiam edita est in periodico “*Pilote*” (v. infra). Narratiunculae Parvi Nicolai illustrabantur picturis linearibus *Iohannis Iacobi Sempé*, qui personam tituli iam a.1954 confinxerat pro periodico *Le Moustique*, ubi Parvus Nicolaus Renato moderante a.1955/56 per breve tempus iam editus erat nubeculatus. Versio huius libri puerorum classici theodiscus a *Iohanne Georgio Lenzen* confecta septem tomis collectivis est editus.

A.1959 Renatus unâ cum *Alberto Uderzo* et *Iohanne Michaele Charlier* et *Iohanne Hébrard* in lucem edidit periodicum, c.t. „*Pilote*“, cui redigendo ex a.1963 usque ad a.1974 moderatus est. *Asterix* in primo fasciculo ipsius „*Pilote*“ primum divulgatus est necnon *Parvus Nicolaus* iam in eodem fuit. A.1965 Renatus unâ cum *Marcello Gotlib* delineatore pro eo periodico confinxit seriem, c.t. *Dingodossiers*, quae continebat binas paginas iocorum nubeculatorum, quibus exponebatur insania vitae cottidiana. A.1968 Renatus seriem *Lucky Luke* ex periodico *Spirou* transtulit ad periodicum *Pilote*, necnon seriem „*Isnogud*“, quae a.1962 in periodico *Record* exorta erat *Iohanne Tabary* delineante. Sed etiam delineatoribus iunioribus, quales fuerunt *Marcellus Gottlib*, *Clara Bretécher*, *Iohannes Marcus Reiser*, *Enki Bilal*, *Iacobus Tardi*, qui novas rationes delineandi experiri cupiebant, occasionem praebuit in periodico suo publicandi.

A.1964 Renatus particeps fuit libri scaenici scribendi, quae spectavit ad cinema „*Tintin et les oranges bleues*“.



Annis sexagenariis exeuntibus dissidia facta sunt inter Renatum eiusque cooperatores, cum temporis perturbationes etiam valere coepissent ad redactionem periodici *Pilote*. Itaque Renatus animo laesus erat nec umquam hilaris affectus animorum, quo redactores fuerant, est restitutus. A.1974 domus editoria *Dargaud*, quae ex a.1960 periodicum possedit, recusavit, ne conderetur propria societas ad libros *Asterigis* illiusque *Lucky Luke* edendos, cuius partem dimidiam Renatus possidere voluit. Ita factum est, ut Renatus redactionem periodici *Pilote* relinqueret. *Asterix* inde editus est aut in aliis periodicis aut directê libro inscriptus. Redactione relictâ Renatus, cum nunc otio perfrueretur aliam rem tractandi, eodem anno unâ cum *Petro Tchernia* Albertoque *Uderzo* condidit technyphion *Idéfix* (cfr „idea fixa“) Parisiense. Ibi fabricata sunt cinemata animata, quibus tituli sunt *Les Douze Travaux d'Astérix* et *La ballade des Dalton*, quorum libri scaenici scripti sunt secundum Renatum. Īdem compluries etiam scaenas cinematum dissignavit.

Renatus Goscinny artifex admirabilis d.5. m.Nov. a.1977 in corporis disquisitione medicâ infarctu myocardii affectus animam efflavit. Idem narrator ingeniosus reliquit uxorem Gilbertam, quacum matrimonio coniunctus erat ex a.1967, et Annam filiam a.1968 natam.

Post mortem Renati Gosciny

Haud diu post mortem Renati technyphion *Idéfix* propter mandatorum defectum est clausum. A.1979 exeunte Albertus Uderzo eo definitivè Asterigem edendum seiunxit a domo editoria Dargaud, quod libris Asterigis publicandis condidit domum editoriam propriam: *Les Editions Albert René*. Huius domûs novae particeps est filia quoque Renati, quae matre a.1994 mortua curat opus a patre relictum.

Jean-Jacques Sempé




Iohannes Iacobus (*Jean-Jacques*) Sempé (qui natus est d.17. m.Aug. a.1932 Burdigalae) est Francogallus delineator atque gryllographus, nomine *Sempé* notissimus.


Vita

Sempêus iam cum esset discipulus, cognoscebatur esse mirâ indole delineandi praeditus. Duodeviginti annos natus voluntariam militiam egit prope Parisios, quia delineando non poterat victum sibi comparare. Ex anno 1957 solebat divulgare picturas lineares in ephemeridibus periodicisque francogallicis, qualia erant *Paris Match*, *L'Express*, *Pilote* necnon extraneis, qualia erant *Punch* aut *New York Times*. Complura folia titularia ipsius *New Yorker* (ex a. 1978) manu Sempeanâ confecta sunt. Ex a.1960 omni ferê anno in domo editoriâ *Denoël* éduntur picturae eius lineares collectae.


Celeberrima est series librorum puerilium, c.t. **PARVUS NICOLAUS**, quae confecta est auctore Renato Gosciny cooperante. A.2008 Sempêus honestatus est praemio *Erici Ohseri Plaueniani*.

Sempêus amicitîâ coniunctus est cum Germano auctore *Patricio Sûskind*, pro cuius fabulâ novellâ [Die Geschichte von Herrn Sommer](#) a.1991 editâ picturas delineavit. Patricius ut remuneraretur nonnulla opera Sempeana in theodiscum convertit.





Ecce Renatus et Iohannes Iacobus lagana crispa sartaginibus iocosè vibrantes.



Hans-Georg Lenzen

Iohannes Georgius Lenzen (qui natus est d.2. m.lul. a.1921 in oppido *Moers*) est Germanus professor artis designandi, conformandi, illustrandi, auctor librorum puerilium, illustrator, translator.

Vita

Iohannes Georgius Lenzen ab anno 1946 usque ad annum 1950 arti figurativae studuit pernoscendae in Academiâ Artium Dusseldorpiensi. Ab a.1952 usque ad a.1962 docuit in Dusseldorpiensi scholâ artis fabrili. Annis 1962-1965 in Civitatibus Unitis docuit hospes in Kansiopolitano Instituto Artis. A.1965 director factus est Scholae artium fabrilium *Petri Behrens*, a.1971 prorektor Polytechnici Instituti

Dusseldorpiensis, ubi professor docuit usque ad annum 1986 in provinciâ artis designandi, conformandi, illustrandi.


Iohannes Georgius Lenzen habitat operaturque unâ cum uxore suâ in oppido *Grevenbroich*.

Iohannes Georgius cum aliis tum praecipuê innotuit narratiunculis PARVI NICOLAI e francogallico sermone in theodiscum conversis. Versiones Iohannis Georgii theodiscae dicuntur narratiunculis originalibus esse „congeniales“, id est îdem interpres verbis suis acu tangere solet sensum verborum originalem. Praeterea duo libri Lenzeniani picturati, q.t. „*Onkel Tobi*“ (*Avunculus Tobias*) insunt indici illi, e quo eligendus est liber Praemio Libri Iuvenilis Germanico exornandus.

d.4. m.November a.2011

Relatio, quae publicata est in ephemeride Grevenbroichiana:

ECCE AVUS PARVI NICOLAI THEODISCI



Si Iohanni Georgio Lenzen hodie denuo liber PARVI NICOLAI e francogallico sermone convertendus esset in theodiscum, hoc faceret sine magnâ difficultate: „Hoc facere est tamquam induere iaccam vetustam.“ Photographema confecit *Hans Jazyk*.

Grevenbroich ex oppido. Quod narratiunculae PARVI NICOLAI in Germaniâ quoque quadamtenus factae sunt classicae, id debetur cum aliis tum praecipuê Iohanni Georgio Lenzen. Qui incola vici *Neukirchen* hos libros convertit ex annis sexagenariis. *Scriptis Silvia Fehse, Latinê reddidit Nicolaus Groß.*

Tenorem narratiuncularum a Renato Gosciny auctore Asterigis scriptarum remissum atque procaculum *Lenzen* hodie quoque scit subtiliter imitari. Idem adulescens primo voluerat fieri pictor. Itaque a.1946 nomen suum rettulit in album academiam artis figurativae.

At idem nonagenarius incola vici *Neukirchen* elector hodie si considerat cursum suum honorum, ei licet plura uno nomine professionis sibi adscribere: Lenzenius enim fuit delineator, illustrator, translator, professor in academiâ docens necnon auctor complurium librorum puerilium. Idem annis sexagenariis fabellas excogitavit rimis scriptas, q.t. "*Onkel Tobi*" (*Avunculus Tobias*) et PARVUM NICOLAUM a Renato Gosciny auctore Asterigis scriptum e Francogallico convertit in Theodiscum.

Haec omnia videtur sine ullâ difficultate assecutus esse. "Valdê" inquit fortunatus fui". Lenzenius est talis vir, quali tales res forte fortunâ accidant, qualia alii homines laborando assequuntur. Ita factum est, ut directorem scholae artium fabrilium Dusseldorpensis cognosceret in raedâ transviariâ. Idem director itineribus nonnullis unâ factis a.1952 Lenzenio praebuit munus artem graphicam illustrationemque docendi.

Praeter munus publicum Lenzenius functus est munere graphici liberi pro ephemeridibus operantis; quo factum est, ut cognosceret domos editorias. Per *domum editoriam Bertelsmannianam* accepit mandatum PARVI NICOLAI theodiscê reddendi, cuius tenorem remissum atque procaculum perfectê in theodiscum convertere sciebat. Propter versiones Lenzenianas PARVUS NICOLAUS in Germaniâ quoque factus est liber classicus.

Francogallicam linguam Lenzenius in scholâ didicerat – primo nullâ aliâ scientiâ aptus fuit ad munus translatoris nisi illâ in scholâ acceptâ. Item in transtulit libros pueriles e sermone Anglico – cuius peritiam anno multum exauxerat, quo degerat in Civitatibus Unitis – necnon e sermone Batavico, quem numquam didicerat.

At dialectus oppidi sui patrii *Moers* Lenzenio similiter sonare videbatur quam sermo Batavicus... Nullâ autem re hic vir indefessus a studiis suis impeditur nisi paulatim aliquatenus aetate morboque Parkinsoniano ineunte, praesertim minus bene quam prius ei contingit, ut delinearet pingeretve. At Lenzenio minimê desunt ideae. "Hîc et illîc" inquit „in mentem mihi incidunt aliqua, quae mihi perscribo".

Talium textuum silvam hîc anno edidit formâ tomi parvi. Scilicet Lenzenium fuisse paratum ad transferendum, cum a.2005 in urbe Parisiorum centum narratiunculae PARVI NICOLAI reperti essent. Filia


enim auctoris Renati Gosciny habitaculum mutans reppererat has narratiunculas antea ephemeridibus tantum editas.

Diurnarius quidam Germanus hac re acceptâ certiores fecit et Lenzenium et Diogenem Turicensem domum editoriam. Cooperator autem huius domûs editoriae primum quaesivit: „Num ille adhuc vivit?“ Nonnullis autem textibus probandi causâ propositis et perlectis Diogeni quoque persuasum erat Lenzenium adhuc esse translatores aptissimum.

Lectrix domûs editoriae: "Is certê" inquit „non est translator minimus natu, tamen celerrimus". Quadraginta annis transactis Lenzenius celeriter denuo assuevit ad sermonem PARVI NICOLAI: "Mihi visus sum denuo induere iaccam vetustam."



CINEMA PARVI NICOLAI



DE CINEMATE PARVI NICOLAI	
Titulus originalis	Le petit Nicolas
Titulus theodiscus	Der kleine Nick
Terrae productionis	Francogallia Belgium
Lingua originalis	Francogallica
Annus editionis	2009
Duratio	91 minutae
Aetas permissionis	non limitata
Dissignator	Laurent Tirard
Scaenographi	Laurent Tirard Grégoire Vigneron
Productores	Olivier Delbosc Marc Missonnier
Compositor melodiarum	Klaus Badelt
Camerarius	Denis Rouden
Sectrix	Valérie Deseine
Actores eorumque personae	

- [Maxime Godart](#): Nicolaus
- [Valérie Lemerrier](#): Nicolai mater

- [Kad Merad](#): Nicolai pater
- [Sandrine Kiberlain](#): magistra
- [François-Xavier Demaison](#): Bulligo
- [Michel Duchaussoy](#): director scholae
- [Daniel Prévost](#): Dominus Maßbaum
- [Michel Galabru](#): minister publicus
- [Anémone](#): Dominula Navarin
- [François Damiens](#): Dominus Blennus (Blédur)
- [Louise Bourgoin](#): Venditrix florum
- [Vincent Claude](#): Otto
- [Charles Vaillant](#): Georgius
- [Victor Carles](#): Chlodovechus
- [Benjamin Averty](#): Franciscus
- [Germain Petit Damico](#): Rolandaus
- [Damien Ferdel](#): Adalbertus
- [Virgile Tirard](#): Ioachimus
- [Elisa Heusch](#): Maria Hedvigis
- [Gérard Jugnot](#): Gerardus Jugnot, moderator chori
- [Nathalie Cerda](#): Domina Maßbaum
- [Renaud Rutten](#): magister autocineti gubernandi
- [Eric Berger](#): Albertus pincerna Georgii
- [Serge Riaboukine](#): Franciscus Leborgne
- [Jean-Michel Lahmi](#): captivus dimissus
- [Didier Raymond](#): medicus
- [Christian Taponard](#): medicus
- [Alain Sachs](#): medicus
- [Marc Faure](#): medicus
- [Yves-Robert Viala](#): medicus
- [Sophie-Charlotte Husson](#): mater Mariae Hedvigis
- [Dominique Jayr](#): Domina aetate provecior
- [Isabelle Jacquet](#): mater Adalberti
- [Françoise Bertin](#): mulier rota fortunae ludens
- [Cédric Eeckhout](#): functionarius
- [Cyril Couton](#): Nicolai avunculus
- [Marie Berto](#): Nicolai matertera

PARVUS NICOLAUS est comoedia cinematographica francogallico-belgica a.2009 *Laurentio Tirard* dissignante confecta.

Argumentum

Parvo Nicolao in scholâ est scribendum, quod officium cupiat gerere, si adoleverit. Nicolaus scit quidem, quod officium plures condiscipuli cupiant gerere, sed nescit, quid ipse sit facturus, quia vult omnia mansura esse talia, qualia sunt. Aliquando Ioachimus condiscipulus in classem venit retardatus, sed excusatur ab aliquo magistro: ei hac nocte natum esse fraterculum. Magistrâ gratulante Ioachimus nequaquam felix esse videtur. Nam infantulus clamare non desinit nemine aegrê ferente, cum Ioachimus quandocumque strepitum facit, ab omnibus graviter vituperetur. Ioachimus autem cum praeterea noluerat fratrem, sed

birotam, duplici causâ dolet. Nicolaus sciscitatur, quomodo Ioachimus animadverterit parentes accepturos esse fraterculum, et Ioachimus dicit attam suam erga mammam se gesisse perquam amabiliter, necnon purgamenta e domo portasse. Paulo post Nicolaus quoque animadvertit parentes suos magis solito inter se concordare. Cum pater purgamenta e domo portet, Nicolaus credit se quoque accepturum esse fraterculum. Qui puer non solum timet, ne ferat molestias pueritiae suae futurae a Ioachimo descriptas, sed etiam, ne a parentibus, si fraterculus advenerit, exponatur in silvâ – sic enim factum est de Pollicario, cuius fabella hunc tempore in scholâ tractatur.

Pater Nicolai in animo habet Dominum *Maßbaum* praepositum suum ad cenam sumendam invitare, quia sperat se hunc modo celerius promotum iri ad munus altius gerendum. Nicolao autem non licet cenam participare, ne perturbet – puer, cum haec audiat, contextum sermonis parum intelligens timet pessima. Itaque deinde studet se gerere quam placidissimè atque oboedientissimè, e.g. visitat par coniugum ingratum ludisque cum eorum filiâ Mariâ Hedvigi eiusque amicibus. Tamen denique in fine septimanae mater Nicolaum invitat, ut cum parentibus per silvam ambulet. Tum Nicolaus foriculis autocineti obseratis recusat, ne escendat; itaque parentes non possunt, quin autocinetum domum manibus protrudant.

Deinde Nicolaus eiusque amici condunt societatem secretam, quae solveret problema fratris. Amici in Nicolai domo operantes volunt parentibus demonstrare Nicolaum esse in domo utiliolem, quam ut in silvâ exponatur. At actione quadam domus purgandae, quae haud feliciter succedit, efficitur chaos, e.g. catta domestica lavatur machinâ lautoriâ. Mater cum indignetur, Nicolaus vasa sua colligit et abit, sed brevi post domum revenit sentiens, cum ipse primus adfuerit, oportere, ut iste fraterculus auferatur. Hoc munus gerendum esse a praedone aliquo. Itaque Nicolaus telephonat cum quodam mechanico autocinetico, quem propter nominis aequalitatem falso putat esse captivum fugitivum. At mechanicus pro infantulo auferendo postulat quingentos francos. Hunc audito pueri primo volunt pecuniam merere rotâ fortunae ludentes, deinde autem simulant se concoxisse potionem magicam, quam efficacem esse praetexunt technâ quadam usi. Mox 530 francos acceperunt eo quod aliis pueris vendiderunt potionem magicam gustandam.

Nicolaus cum mechanico telephonans interrogatur, ubinam autocinetum sit statutum. His verbis acceptis puer concludit praedonem ad opus suum faciendum egere autocineto. Albertus dives iubet autoraedarium suum glaciem edibilem afferre, ipse autem autocinetum familiae suae

expedit, sed nihil scit nisi vertere rotam moderatricem. Iter autocineti errabundum finitur ante cellam telephonicam. Cum pueri denuo cum mechanico telephonent, subito Ioachimus apparet cum chiramaxio, cui inest infantulus. Idem interim de fraterculo omnino aliter sentit quam antea, quem curans animo inflammato affirmat iam scire nomen suum dicere. Ioachimus enim intellexit se postea aliquando fore magnum fratrem, qui minorem se suspicientem omnia doceat. His auditis Nicolaus ab infantuli abductione desistens vult habere fratrem. Parentes ei declarant matrem non exspectare infantem. Tamen mox mater Nicolai gravida est. Per longum tempus cum Nicolaus exspectaverit, infans nascitur – sororcula. Tum Nicolaus somniis evanescentibus indignatus est. Dicit enim sororculam sibi haud pulchram videri et affirmat, si hoc praevidisset, futurum fuisse, ut sibi potius exoptaret canem. His auditis omnes praesentes cachinnum tollunt. Nunc Nicolaus scit, quid postea sit factururus: Efficere vult, ut homines rideant.

Productio cinematris

Argumentum cinematris, c.t. *Parvus Nicolaus*, positum est e libro eiusdem tituli, quem scripsit Renatus Gosciny et imagunculis exornavit Iohannes Iacobus [Sempé](#). Quod cinema pretio 22 milionum euronum a mense Maio usque ad mensem Octobrem anni 2008 confectum est in urbibus [Parisiis](#) et [Bruxellis](#) et Novigento (*Nogent-sur-Marne*) et d.30. m.Sept. editum est in cinemateis francogallicis belgicisque. Praeterea eodem die in Helvetiae partibus francophonis monstrari inceptum est. In Germaniâ d.26. m.Aug. a.2010 primo est in cinemateis exhibitum, in partibus Helvetiae germanophonis die 2. m.Sept. a.2010, in Austriâ d.17. m.Sept. a.2010. Mense Aprili a.2011 editus est huius cinematris discus versatilis.

Critici quid scripserint

Diurnarius Speculi Hammaburgensis iudicavit cinema PARVI NICOLAI esse „librum plurimê divenditum bono cum successu cinematographatum, quo lepos nostalgicus narratiuncularum Renati Gosciny et Iohannis Iacobi Sempé magnam partem servaretur.“

Criticus quidam periodici „Cinema“ scripsit „fabula a Laurentio Tirard cinematographata paene perfectê contigisse, ut reciperentur facetiae innocentes leposque nostalgicus“.

Praemia

Laurentius Tirard et *Gregorius Vigneron* propter cinema PARVI NICOLAI a.2010 confectum in categoriâ optimi libri scaenici adaptati honestati sunt praemio Caesaris (*“César”*). Praeterea hoc cinema inuit indici qui spectavit ad praemium cinematrum Europaeum anni 2010.



Ecce actores cinematis PARVI NICOLAI: Sandrine Kiberlain, Kad Merad, Maxime Godart (*anterior*), Valérie Lemercier necnon dissignator Laurent Tirard (*a sinistris dextrorsum*)



»Egemus duce. Propono ut ego hic sim«.

Ecce exempla cinematis PARVI NICOLAI:

<http://www.youtube.com/watch?v=5Sd1zw7SPEg>

Le petit Nicolas

<http://www.youtube.com/watch?v=oEX-qWdnEEo>

Le petit Nicolas, La visite du Ministre.

http://www.youtube.com/watch?v=ZxR_MG1sHWM

MEDECIN Le Petit Nicolas FR SUB ARAB.avi

<http://www.youtube.com/watch?v=fHogjYD35vc>

le petit nicolas .la nouvelle maitresse.avi

Goscinny & Sempé
Parvus Nicolaus
Der kleine
Nick
auf Latein und Deutsch



Diogenes

**Libellus chartâ durâ involutus
 Quem scripsit *René Goscinny*,
 lineamentis instruxit *Jean-Jacques Sempé*.**

PARVUS NICOLAUS

Narratiunculae
 quas theodiscê reddidit *Hans-Georg Lenzen*,
 Latinê *Nikolaus Groß*.

**Quomodo fieri potest, ut Latinê colloquaris de rixationibus, pedifolio, magistrisque molestis? Hoc tibi explicabit Renatus Goscinny, auctor Asterigis, de altero heroe suo narrans, i.e. de Parvo Nicolao (»Le Petit Nicolas«, editio theodisca complectitur 1,6 miliones exemplorum!), cuius mox edetur pulcherrimus libellus bilinguis (Latino-theodiscus).
*Chouette – Prima! - Bellissimê!***

Libellus involucro semilineo instructus, 144 paginae. Edetur mense Aprili a.2014

ISBN 978-3-257-01169-2

€ (D) 16.90 / (A) 17.40

sFr 24.90*

* pretium commendatum, non obligatorium.

DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

CORRIGENDA

EL 72, p.5:

Peropportunê acciderat, ut rex Bavariae *Mariae Leopoldinae* archiducissae Austriacae, quae nuptura erat *Domino Petro* principi Caesari Brasiliae futuro, commendaret, (*non: commendavit*) ut in Brasiliam profectura comites secum abduceret duos naturae investigatores.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM TERTIAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

d. Solis, 30. m.Mart. a.2014

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>